

suppositum, quod a graecis hypostasis dicitur. In hac definitione aliud significatur in recto, aliud vero in obliquo: in obliquo, nempe, venit *natura*, qua significatur essentia; directe autem notatur *subsistentia* individua. Cum ergo dicimus unam esse personam in Christo, id de subsistentia, per quam natura constituitur persona, intelligendum est.

93. Prob. 1.<sup>o</sup> «Si quis conatur introducere in mysterio Christi duas subsistentias, seu personas, et unam dicit personam per dignitatem et adorationem... sed non confitetur unam ejus hypostasim, vel unam personam, talis anathema sit.» Syn. Oecum. V. can. 5.

Prob. 2.<sup>o</sup> In SS. Litteris de Christo loquentibus, praedicantur tamquam de uno et eodem ea, quae propria sunt divinae naturae et ea quae humanae. Sed si essent duae personae, altera divina, altera vero humana, falso utriusque proprietates de uno et eodem praedicarentur: ergo unica est persona.

*Min.* patet: nam nulla foret identitas inter subjectum et praedicatum; nec formalis, seu secundum naturam; nec materialis, seu ratione suppositi. *Major*, autem constat passim (1): *Verbum caro factum est*. Et Apoc. (2): *Ego sum alpha et omega*. Et iterum (3). *Nemo ascendit in coelum nisi qui... Filius hominis qui est in coelo*. Et Apostolus (4): *Qui descendit, ipse est et qui ascendit ut impleret omnia*. Et item, Joannes (5): *Ego et Pater unum sumus* (6): *Pater major me est*.

94. 3.<sup>o</sup> Dionys. Alex in ep. Synod. ad Paulum Samosat. illum reprehendit quod dicat: «duas hypostases, et duas personas unius Christi, et Christos duos. duosque filios.»

Athanasius, docebat (7). «Sicut homo persona est una et animal unum è spiritu et carne concretum; ita Christum unum esse et non duas personas: quod recens impietas violenter invehere conatur.» Sic Ambrosius, (in Symb. Apost. c. 31). Et Augustinus, (Tract. 20 in Jo). «Verbum habens hominem non facit duas personas, sed unum Christum.»

95. 4.<sup>o</sup> Rationem theologicam insinuavit Syn. V. can. V. Unio talis est quale est unum ex ea consistens: sed unio Verbi cum natura humana est substantialis; ergo et unam cum eo constituit substantiam: non quidem quatenus substantia est natura vel essentia, ut dictum est (Thes. XX); ergo quatenus substantia est persona, seu ultimo terminata et subsistens. «Si quis non confitetur Dei Verbum carni substantialiter uniri et propterea unam ejus hypostasim seu personam...»

(1) Jo. I. 14.—(2) I. 8.—(3) Jo. III, 13.—(4) Ephes. IV, 10.—(5) Jo. X, 30.—(6) Ibid. XIV, 28.—(7) L. de Incarn.

Substantialem autem esse in Christo naturarum unionem, definit Later. sub Martino I (an. 649): «Si quis secundum SS. PP. non confitetur proprie et secundum veritatem naturarum substantialem unionem... condemnatus sit.» Verum et aperte patet ex SS. Scripturis, cum aequali modo de Christo sive humana sive divina substantialiter praedicentur (1). *Quem dicunt homines esse Filium hominis... Tu es Christus Filius Dei vivi*. Et alibi (2). *Videte manus meas... Dominus meus et Deus meus! Quia vidisti me, credidisti* (3).

Unde in his et aliis similibus, substantia de substantia, Filius Dei de Filio hominis, Deus de homine, praedicatur: ergo datur identitas substantialis, uti veritas postulat propositionum; non quidem quatenus substantiae sunt naturae: ergo quatenus sunt subsistentiae. *Verbum caro factum* (4): atqui unio mere accidentaliter cum carne non sufficit ut res unita caro fiat.

96. Obj. 1.<sup>o</sup> Natura humana Christi est substantia et est individua; est ergo secundum se persona. Idem dicas de natura divina. Igitur existit in Christo duplex persona, sicut duplex natura.

Resp. Substantia in definitione personae intelligitur completa in se, seu subsistens: jam vero natura humana Christi habet hujusmodi complementum per Verbum, ut probabimus (Vide D. Thomae (5) rationem); ideoque nego *consequens* et *consequentiam*.

Obj. 2.<sup>o</sup> Ratio personae est ratio dignitatis et perfectionis: sed humana Christi natura nullam amisit dignitatem et perfectionem; habet ergo per se rationem personae.

Resp. dist. *min.* Non amisit perfectionem spectantem ad naturam conc. Spectantem ad modum subsistendi, subdist. Quatenus habet nobiliorem et aeternam subsistentiam; conc. Quatenus habeat subsistentiam ex ipsis principiis humanae naturae causatam; nego. Vid. D. Thom. (6).

#### THESIS XXII.

Christi persona est divina, nempe ipsa Persona Verbi, seu Filius Dei.

97. Propositio est de fide. Prob. 1.<sup>o</sup> ex Chalced. Conc. Oecum. IV, in *Definitione Fidei*. «Docemus... unum eundemque Christum... non in duas personas partitum atque divisum, sed unum et eundem Filium unigenitum Deum Verbum Dominum Jesum Christum.»

(1) Matth. XVI, 13, 16.—(2) Luc. XXIV, 39.—(3) Jo. XX, 28, 29.—(4) Ibid. I, 14.—(5) Summ. p. 3, q. 2, a. 2, ad 3.—(6) P. 3, q. 16, a. 12, ad 1.



2.º (1) *Et Verbum caro factum... Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre.* Item ait Petrus (2): *Tu es Christus, Filius Dei vivi:* ergo Christus est persona divina.

3.º Damasus pp. in Syn. Rom. IV, docuit in *Anathem.* 7.º «Ipse Filius est Verbum Dei, qui nostram, id est, intelligibilem animam suscepit, atque salvavit.» Insuper vide PP. Antiochaenos (supra Thesis XVII).

98. 4.º D. Thomas (3) optimas exponit congruentias, quod Persona Filii, non autem alia, unita humanae naturae fuerit. Prima desumitur ex unionis natura, quae convenientius perficitur inter ea, quae similia sunt. Jam vero Filius est Verbum Patris, per quod omnia facta sunt; artifex enim per suae mentis verbum sua efficit artefacta ad ipsius verbi similitudinem, quam participant. Sicut ergo res omnes in suo esse naturali ac mobili fuerunt constitutae per *participatam* Verbi similitudinem; sic convenienter per *non participatam*, sed personalem unionem cum Verbo, reparatae sunt ad immobilem et aeternam perfectionem. Praeterea, perpensa speciali et specifica hominis similitudine cum Deo, major elucet convenientia: propria enim hominis perfectio est sapientia; jam vero Filius ipsa est personalis Sapientia Patris; per illius ergo participationem, a quo omnis sapientia hominum derivatur, reparari homo debebat, sicut discipulus instruitur per hoc, quod recipit verbum magistri. Unde dicitur (4): *Fons sapientiae Verbum Dei in excelsis.*

Alia ratio elucet ex fine Incarnationis, qui est impletio praedestinationis, scilicet, praedestinationis ad haereditatem coelestem. At qui haereditas non debetur nisi filiis; ergo congruum fuit, ut per Eum, qui est Filius naturalis, homines similitudinem hujus filiationis secundum adoptionem participarent; sicut ait Apost. (5): *Quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.*

Plures alias tradunt hujusce mysterii congruentias Sancti Patres, quarum summam exhibet Suarezius (6).

99. Obj. B. Petrus ait (7): *Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt Sancti Dei homines.* Atqui ille incarnatus est qui per prophetas loquebatur (8): *Ego ipse, qui loquebar, ecce adsum;* ergo.

Resp. 1.º Explico *maj.* Quatenus inspiratio *appropriatur* Spiritui Sancto; conc. Quasi inspiratio sit proprietas personalis Sp. Sancti; nego *major.* Nam actiones ad extra sunt tribus Personis communes; ideoque omnes aequaliter loquebantur per prophetas.

2.º Explico *min.* *Ecce adsum,* quatenus Filius est verus ille Deus

(1) Jo. I, 14.— (2) Matth. XVI, 16.— (3) P. 3, q. 3, a. 8.— (4) Eccli. I, 5.— (5) Rom. VIII, 29.— (6) *De Incarn.* disq. XII, sec. 1.— (7) II Petr. I, 21.— (8) Isai. LII, 6.

qui loquebatur in prophetis; in Filio autem, propter naturae unitatem, sunt et Pater et Spiritus Sanctus; conc. Quasi eandem unionem et praesentiam habeant cum humanitate Christi tres divinae Personae; nego. Locutio Dei per prophetas unionem quamdam efficiebat accidentalem, scilicet, per actionem ad mentes prophetarum terminatam; et haec communis erat divinis Personis: Deus autem adest in Christo per unionem substantialem Verbi cum humanitate; Verbum autem est proprietas personalis, ideoque, non eodem modo adest in Christo, sicut aderat in Prophetis.

### THESIS XXIII.

Persona tantum Verbi unita est humanae naturae; non quidem per proprietatem ullam absolutam, id est, communem aliis divinis personis, sed relativam et propriam.

100. Nota I.º Licet sola Verbi persona assumpserit humanam naturam, non est impossibile quod tres divinae personae eandem illam assumpsissent naturam, ut docet D. Thomas (1).

II.º Verbum divinum, verus Deus, naturae divinae uni ac simplici identificatur, absque ulla actuali distinctione reali. Haec autem unitas et identitas trium personarum quoad naturam non impedit realem earundem distinctionem inter se; qua de causa Verbum opponitur *personaliter* caeteris personis divinis, non vero secundum naturam. A pari, idem Verbum unitur personaliter immediate naturae humanae, non vero quoad naturam, nisi media subsistentia.

III.º Thesis, quoad primam partem, de fide esse dicitur a Doctore Eximio: secunda pars ita est cum fide connexa, ut non possit sine errore oppositum doceri.

101. Prima pars prob. 1.º ex Syn. VI, in Definitione fidei. «Definientes Dominum Jesum Christum, verum Deum nostrum, »*unum de Sancta Trinitate...*» Deinde adjicit: «Proprietate utriusque naturae in unam personam et in unam subsistentiam concurrente, non in duas personas partitum vel divisum, sed unum eundemque Dei Verbum Dominum Jesum Christum.»

Item, in Professione fidei Waldensibus ab Innoc. III praescripta: «Corde credimus... Incarnationem Divinitatis non in »Patre, neque in Spiritu S. factam, sed in Filio tantum.»

2.º In SS. Scripturis tamquam unius Verbi propria exhibetur In-

(1) P. 3, q. 3, a. 6.



carnatio. *Verbum Caro factum est...* (1). *Ego exivi a Patre et veni in mundum, iterum relinquo mundum et vado ad Patrem* (2).

3.º PP. Conc. Tolet. XI, in Symbolo fidei, ajunt: «Solus »filius formam servi accepit in singularitate personae, non in unitate divinae naturae, in id quod est proprium Filii, non quod commune Trinitati.»

102. II.ª Pars fluit ex I.ª I.º Incarnatio est propria Filii: sed si fuisset humanae naturae unitus per proprietatem absolutam talis non esset.

2.º Explicite hoc notarunt laudati PP. Toletani: «In id quod »est proprium Filii...» S. Fulgentius ait (3): «Non Patris, non »Spiritus Sancti, solius Verbi est caro, quia Deo Verbo non est cum »Spiritu Sancto unius personae communio.»

103. Obj. 1.º cum Durando. Facta est unio naturarum in subsistentia: atqui una tantum est in Trinitate subsistentia et quidem essentialis: ergo tota Trinitas est unita. Resp. Nego *min.* cujus falsitas, argumentum retorquendo, demonstratur.

Instabis. Licet natura sit principium generandi, tamen solus Pater generat: ergo a pari, potest solus Filius uniri, licet proprietates communis sit ratio terminans unionem.

Resp. Nego paritatem. Generatio enim est actus notionalis ad intra, ideoque necessario requirens personam constitutam, quae est Pater. E contra, incarnatio est communicatio ad extra, supponens omnes personas constitutas: ideoque si *hic Deus*, ut sic, seu proprietates aliqua absoluta est ratio terminandi unionem, omnes personae aequaliter uniuntur.

Obj. 2.º Natura divina identificatur cum Persona Verbi; ergo si unitur natura humana immediate cum Persona Verbi, et unitur cum Natura divina.

Resp. Dist. *antec.* Identificatur, ita ut distinguatur virtualiter; conc. Aliter, nego *antec.* Deinde dist. *consequens*: unitur Natura divina *mediate*, conc. Unitur *immediate*, nego *consequentiam*. Propterea D. Angelicus ait (4): «Primo et propriissime persona dicitur assumere; secundario autem potest dici, quod etiam natura »assumpsit naturam ad sui personam... Unde Damascenus dicit naturam Dei incarnatam esse, secundum Athanasium et »Cyrillum.

(1) Joan. I, 14. — (2) Ibid. XVI, 28. — (3) *Contra Serm. Fastidiosi*, c. 18. — (4) P. 3, q. 3, a. 2.

#### THESIS XXIV.

Non tantum consequenter ad unionem, verum nec antecedenter humana Christi natura propriam habuit subsistentiam.

104. Nota I.º Unitatem Christi excludentem plures simul personas ostendimus: nunc autem pluralitatem *successivam* personarum nullatenus locum in Christo habuisse defendimus. Etenim Cerinthiani et Nestoriani errantes dixerunt, prius Christum fuisse purum hominem.

Nota II.º Per vocem illam *antecedenter* significamus tum prioritatem temporis, tum naturae. Primo sensu (de prioritatem temporis) thesis est de fide: secundo autem sensu etiam, vel ita saltem cum fide connexa, ut oppositum sit plane erroneum.

105. Prob. 1.º Conc. Later. sub Martino I. «Si quis »non confitetur... immaculatam Mariam... Deum Verbum veraciter... concepisse ex Spiritu S... condemnatus sit.» Si ergo ipsa conceptio Christi terminata est veraciter ad ipsum Deum Verbum, cum Christus non extiterit antecedenter ad suam veram conceptionem, multo minus potuit *subsistere*; nam subsistere est quidam existendi modus.

In Confessione fidei Justiniani Augusti, a Synodo V Oec. approbata, dicitur: «Unitio secundum subsistentiam indicat Deum Verbum, hoc est, unam Subsistentiam de tribus divini »Subsistentiis, non ante subsistenti homini adunatam fuisse; sed in »utero Sanctae Virginis fabricatum esse sibi ex illa in propria Subsistentia carnem animatam anima rationali et intelligenti, quae »est hominis natura.» Vide supra (Thes. XX) can. 8. Synod. V. «Manente utraque natura hoc quod est, unitum esse carni Verbum.»

In Symb. fidei Coc. Tolet. XI. «Maria, eodem Spiritu S. obumbrante, concepit... In quo mirabili conceptu... Verbum caro factum est...» Atqui si unionem Verbi praecessisset aliqua humana persona, non factum fuisset caro in ipso conceptu: ergo nulla praecessit humana subsistentia.

2.º Apostolus ait (1): *Ingrediens mundum dicit: Corpus aptasti mihi... Ecce venio...* Loquitur de Christo homine, nempe quatenus subjecto voluntati Patris; loquitur de Christo Deo, nempe capaci ad redimendum; loquitur denique de ipso primo instanti, seu de in-

(1) Hebr. X, 5, 7.



gressu in mundum. Ergo numquam fuit in Christo alia subsistentia praeter divinam.

3.° S. Leo P. in epistolis 10, 11, 97, impugnat Eutichetem eo quod dixisset, extitisse naturas ante unionem. Etiam Vigiliius (1). Augustinus (2); «Sicut dixi, et valde commendandum est, una persona est. Ipse namque unus Christus et Dei Filius semper, natura; et hominis Filius, qui ex tempore assumptus est, gratia: nec sic assumptus est ut prius creatus post assumeretur, sed ut ipsa assumptione crearetur.» Item, Damascenus (3).

106. 4.° Rationem videas apud D. Thomam (4).

**Coroll.** Exinde eruitur solutio quaestionis a D. Thoma propositae: Utrum Filius Dei assumpserit personam? Respondet negative: «Quia id quod assumitur debet praeintelligi assumptioni.» Natura utique fuit vere et proprie assumpta, ideoque praeintelligebatur assumptioni, (prioritate naturae, non temporis).

**Objic.** 1.° Concil. Francoford. in epist. ad episcopos Galliae, ait: «Persona Dei consumpsit personam hominis.» Ergo haec praecessit.

**Resp.** cum D. Thoma. Consumpsit, quasi destruendo quod prius fuerat; nego: impediendo quod aliter natura humana habuisset; conc.

**Objic.** 2.° Natura humana Christi praeintelligitur assumptioni, saltem prioritate naturae, ut ait D. Thomas (ibid.) Sed quod praeintelligitur assumptioni, ut videtur perspicuum, intelligitur esse *per se*: nam idem est esse per se ac non esse assumptum, seu unitum. Ergo humana Christi natura prius fuit subsistens quam assumeretur, saltem prioritate naturae; ergo vera consumptio personae facta est in Christo, et vera personarum successio.

**Resp.** Nego suppositum, scil. subsistentiam alicujus naturae in mera negatione consistere: sed de hac re infra.

#### THESIS XXV.

Nec anima nec corpus Christi prius extiterunt, quam a Verbo divino assumerentur.

107. **Nota.** Negamus in thesi prioritatem temporis; nam naturae prioritas, abs dubio, tum animae tum corporis est concedenda. Thesis est doctrina catholica certa, imo doctrina fidei, ait Suarez; quod probabilius est.

**Prob.** 1.° Leo pp. (5). Euticheti hunc errorem tribuit; «Quod

(1) L. 3, contra Eutichet. (in principio). — (2) Contr. Sermon. Arianor. c. 8. — (3) L. 3, c. 12. — (4) Q. 4, a. 2, Summ. — (5) Ep. 11, contra Eutichetem.

»anima, quam Salvator assumpsit, prius in coelis sit commorata, »quam eam sibi Verbum in utero Virginis copularit; sed hoc catholicae mentes auresque non tolerant.»

Nicephorus (1), refert can. 1.° Synod. Oecum. V, adversus Originem, in quo fabulosa damnatur animarum praesistentia.

2.° Sophronius, Patriarch. Hierosoly. in ep. Synodica ad Sergium Constantinop., approbata autem a Syn. Oecum. VI, ait: «Incarnatum esse Verbum, non carni copulatum ante formatae vel figuratae, neque subsistenti animae compositum; sed cum eisdem unitum, tunc ad existendum prodeuntibus »quando Verbum ipsum cum illis conjungebatur... Unita sunt ipsi »secundum hypostasim simul atque ad consistendum producta »sunt.»

Maximus martyr (2), refert haec Athanasii verba: «Simul caro fuit, simul Dei Verbi caro, animata, rationalis.»

Item, Damascenus, et Fulgentius.

3.° Anima naturaliter est forma corporis: ergo nequit naturaliter ad existendum creari nisi formato et disposito corpore.

Item: corpus humanum est materia tali modo disposita, scilicet, ut formam seu animam humanam suscipiat. Sed materia disposita ad animam nequit naturaliter sine illa existere. Ergo. *Min.* prob. 1.° Carere actu, ad quem est potentia disposita, est ei violentum: sed violentum non est naturale. Ergo. 2.° vel materia disposita ad animam humanam haberet aliam formam, vel nullam: sed utrumque est contra naturam. Ergo non fuit corpus ante unionem.

#### THESIS XXVI.

Persona, formaliter ut talis, seu subsistentia propria personae, non est mera negatio, sed perfectio positiva.

108. **Nota** 1.° Sentiunt aliqui AA. naturam quamlibet ex eo tantum subsistere, quod cum alia perfectiori non uniatur: si enim adiciatur naturae cum ente perfectiore conjunctio, tunc, ajunt, suam amittit totalitatem, seu esse in se et per se totam, ideoque subsistentiam. In illa ergo negatione unionis, subsistentiam, seu personalitatem (si sermo sit de natura rationali), compleri existimant.

**Nota** II.° Persona et subsistentia ad constitutiva mysterii Incarnationis et aliorum fidei mysteriorum spectant: unde multum re-

(1) Hist. l. 17, c. 28. — (2) L. De duabus volunt. — (3) L. 4, c. 6, De fide. — (4) De Incarn. c. 5, circa finem.



fert nihil falsum, nihil fictum in mente gerere dum personam cogitamus vel dicimus; ne forsan, irrito conatu, ad falsa vel ficta credenda nitamur. Si quis, ex. gr. putaret nihil aliud significare esse *Patrem*, quam esse *Factorem* Filii, falso sane ac absurde diceret: credo in Deum *Patrem*, et in ejus Filium J. C.

109. *Nota* III.<sup>o</sup> Esse *per se* non tantum rei convenit subsistenti, sed cuilibet etiam substantiae; verum aliter et aliter. Substantiae enim convenit quia ejus entitas talis est perfectionis, ut non indigeat inesse, seu sustentari in subjecto ut existat; hoc enim est proprium accidentium. Unde humana Christi natura hoc modo est *per se*, cum non sit accidens sed vera substantia.

Subsistentiae autem convenit esse *per se*, quatenus subsistens entitas est terminata et completa in sua perfectione substantiali, seu in existendo *per se*: ideoque non indiget aliquo termino substantiali, seu existente *per se*, ut compleatur; imo repugnat ei, ut, dum est ita terminata et completa, alius terminus tali termino adjiciatur.

Sit exemplum. Intelligimus per virtutem intelligendi, quae intellectus seu intelligentia vocatur. Haec virtus seu intellectus debet compleri quodam actu seu determinatione ejusdem ordinis, ut fiat intellectio. Ipse utique intellectus intelligit, sed non nisi determinatus et completus intellectione, quae dimanat ab ipsa intelligendi virtute, et est ultimum ejus complementum in ratione seu perfectione intelligendi. Jam vero hujusmodi complementum est perfectio positiva, licet illud quaedam comitetur negatio; nam posito quod intellectus sit actuatus et terminatus, nequit jam in eo ordine actuari et terminari, ita ut fiat actus ipsius actus, terminus ipsius termini.

Sensus ergo theseos est; illud complementum, vi cuius substantia aliqua dicitur subsistere, non est mera negatio. Ita Suarez, Valentia, (*De Incarn.* Disp. I, q. IV, p. 2.)

110. Prob. 1.<sup>o</sup> Complementum alicujus perfectionis debet esse ejusdem ordinis. Sed subsistentia est complementum perfectionis positivae: ergo subsistentia est perfectio positiva.

*Major* est aperta: nemo enim putabit visionem compleri formaliter per auditionem, intellectionem per volitionem.

*Min.* prob. Subsistentia est ultimum complementum substantiae seu existendi *per se*, ut docet D. Thomas (1): «Hypostasis significat substantiam particularem, non quocumque modo, sed prout est in suo complemento.» Sed existere *per se* est perfectio positiva; etenim aliter perfectius esset accidens quam substantia; ergo subsistentia est complementum...

(1) P. 3, q. 2, a. 3, ad 2.<sup>m</sup>

Confirm. eadem *major*. Eatenus completur et perficitur natura humana a Verbo, quatenus eidem Verbum unitur (fiunt *unum*) secundum subsistentiam seu hypostasim. Sed talis unio est substantialis, ut supra vidimus, et Lateranensis docet, (Thes. XXI): ergo subsistentia est complementum substantiae, et quidem ultimum in hoc ordine, quia per illam fit incommunicabilis.

111. Prob. 2.<sup>o</sup> Christus est vere et proprie persona, seu subsistens in natura rationali, per *positivam* perfectionem a natura distinctam: item, Deus est tres Personae, seu vere subsistens, per *positivas* proprietates non essentielles, aliquatenus a natura divina distinctas, prout fert simplicitas divina. Ex quo arguitur: si ratio personae, formaliter sumptae, in negatione quae naturae adjicitur consistit; verius erit Christum non esse personam, Deumque non esse tres Personas, quam esse. Sed hoc est absurdum: ergo non fit per negationem constitutio personae.

Prob. *min.* Si ratio personae completur per negationem naturae adjectam, non convenit Deo et Christo, nisi aequivoce; nihil enim est adeo diversum quemadmodum perfectio positiva et negativa. Sed quae de aliquo aequivoce dicuntur, verius est illi non convenire, quam è contra: verius est, ex. gr., idolum non esse Deum, pulchrum juvenem non esse angelum, leonem non esse regem, Deum non irasci: etc. Ergo si ratio personae formaliter...

112. Prob. 3.<sup>o</sup> Impossibile est conferri effectum formalem per negationem formae; ut ignarum efficere per sapientiam, nigrum per albedinem. Ergo repugnat efficere effectum formaliter negativum per formam positivam. Subsumo: Atqui natura humana Christi vere subsistit; «Christi duas naturas praedicamus... ex quibus et in quibus etiam post admirabilem unionem subsistit,» (Constantan. Oecum. VI. act. 4); item Hispal. II, can. 13: subsistit autem per ipsam Verbi Subsistentiam, ideoque per formam positivam. Ergo habemus effectum formaliter negativum causatum per formam positivam: ergo ratio formalis subsistendi nequit compleri per negationem.

Dices, forsan, ad hoc vitandum absurdum: Verbum divinum est quidem proprietas positiva, Subsistentia formaliter positiva: verum involvit quoque negationem, nempe incommunicabilitatem cum Patre et Spiritu Sancto, ita ut nec terminetur, nec terminari possit per aliam personam creatam, vel incretam. Proinde, licet humana natura in Christo subsistat per Verbum, non tamen quatenus Verbum est proprietas positiva, sed quatenus involvit illam negatio-

(1) P. 3, q. 2, a. 3, ad 2.